

peregrini studii , sine conversationis cum exteris proposito , qualia in meum censem non veniunt, sed de iis loquor lexicis, aut, sub millenis aliis titulis, tali librorum farragine , quæ conscripta est singulis populis amore vicinitatis, labore bellorum in hostes, proposito conversationis cum barbaris, exteris, peregrinis, aut alias dialecti populis. Qualia sunt Arabico-Latina , Syro-Latina, Chaldaeo-Latina, Ebræo-Latina, Persico-Latina, Turcico-Latina, Hungarico (quæ gens una ex Tataris, uti Turcæ) Latina, Ægyptiaco-Latina, Armeno-Latina, & Latino idiomati substitutis Gallicis, Hispanicis, Italicis, Græcis, Anglicis, Germanicis, Belgicis, & cum Orientalibus prædictis studio , laboreque felici coniunctis.

Taliū lexicorum omnes nostri occidentis , septentrionisque multi populi privatim quique sibi necessitate adducti, aut Publici in academia , universitateque ad id Professores honore , gloria , studio famæ, voluntate beneficiandi, amore externa scripta cognoscendi, aut à principibus regni, reive suæ publicæ viris stipendio, muneribus, officiis, salario, immunitatibus, privilegiis ornati, muniti , instructi conscripsere varia volumina, quorum tamen ne centesima lucem viderunt, utique quæ à legatis , residentibus, mercatoribus , aut aliis publicis privatisque personis fuerant composita. Nam quæ prodierunt in lucem sunt paucissima, at illorum, quæ intercidere , aut bibliothecis latent, est ingens & ultra fidem excrescens numerus. Præteritis enim ante mille annos seculis codem feruore nostri Christiani, adde & majore grassabantur in externalium commercium linguarum. Quantum est, quod ubique latet, quantum quo bibliothecæ gaudent , at quanto plura , & centies plura, quæ